CAROLI FRANC. HOPFENSTOCK,

BOHEMO-PRAGENSIS

DISSERTATIO

INAVGVRALIS

MEDICO-CHIRVRGICO-OBSTETRICIA

DE

HISTEROTOMIA.



VINDOBONÆ,

TYPIS JOAN. THOM. NOB. DE TRATTNERN,

SAC. CÆS. REG. AULÆ TYPOGR. ET BIBLIOP.

MDCCLXXVI.

Multitudo temporis facit experientiam.

ARISTOT.

DE

HISTEROTOMIA.

CAPVT I.

Fortis a Creatore nobis inditus ſenſus, deficientem adiuuandi Naturam, multa in hunc ſcopum et nonnunquam crudelia ſatis remedia inuenit, et exercuit. Inter haecce primum facile locum tenet Hiſte-

rotomia, momentoſa plurimum, periculoſiſſimaque artis obſtetriciae operatio, qua partus per naturales vias omnimodo impoſſibilis, ſanguinolenta abdominis, vteri, aliarumue grauidarum partium inciſione perſoluitur, viua mortuaue matre, viuo mortuoue infante, aut viuis ambobus ſimul.

Si origo huius remedii ſpectetur, et Plinio adhibenda fides ſit, operatio haecce, ſaltem vna eiuſdem ſpecies, iam ante ſaecula celebrata fuit. Quin et Ethimologiam vocis ex eodem authore nanciſcimur, dum dicit: *Auſpicatius enecta parente gignuntur, ſicut Scipio africanus prior natus, primuſque caeſarum a caeſo matris vtero dictus.*

Plana hoc pacto hiſtoria operationis haberetur, niſi hominibus continuo inquirendi aſſiduitas, aut vt malunt, ingens ſemper ad dubi-

bitandum propenſio ineſſet; multifariam enim hunc Plinii locum interpretantur. Seruius, Suidas, Cedrenus, Manaſſé, Manala, Glycas et alii, eum de Iulio Caeſare Romanorum Imperatore primo dictum putant; aduerſantur alii, Bayle imprimis et ante ipſum Zonaras, nec immerito: euidens enim eſt, Plinii verba: *Auſpicatius enecta parente etc.*: non de Iulio Caeſare Imperatore intelligi poſſe; quum mater eius Aurelia tantam adhuc educationis filii curam geſſerit, eoque iam bella gerente, mortem primo obiverit. Verum haeccene verba: enecta parente, ſic ſtrictim Aureliam ſpectant? nonne Aurelia ſectioni ſuperuiuere potuit? Quidquid ſit, obiectio haec opinionem contendentium, Caeſarem ſectione vtero matris eductum fuiſſe, non improbat; id tantum ex ea colligi licet, Plinium non de eodem Caeſare loqui. Praeterea nonnulli autumantur, ſectionem a Caeſare,

teſtante Plinio autem, Caeſares aut Caeſones a caeſo matris vtero adpellatos fuiſſe, potius Caeſarem ab operatione nomen nactum, ſuſpicari oportet.

Verum ne in delicias Criticorum manum feramus? Quaecunque enim deſuper in medium proferuntur, merae coniecturae ſunt de re quadam in vtroque caſu parui momenti. Hiſterotomiam in foeminis mortuis ſaltem iam longiſſime in vſu fuiſſe, id conſtat certo, et ad metam ſufficit.

Sed quando operationem primum in foemina viua inſtituere? an forte in Caeſaris matre iamiam? Ex iis, quae de nomine Caeſaris commentantur, facilis forem: quamuis certo ſtatui nequeat, eam ante ſaeculum decimum ſextum vnquam in viuente factam fuiſſe. Hoc vero

ſaeculo

ſaeculo vix elabente, Bauhinus refert, quidam ſectionem hancce primus in propria vxore patrauit, amore, animo magis, quam arte ductus; facti mentionem faciam.

Cum circa annum ſalutis 1500. Eliſabetha Alespachin, Jacobi Nufer ὀρχοτόμȣ, in pago Sigershauſen (praefecturae gottliebanae in Turgania parochiae altiſhuilanae) vxor primo vtero geſtaret, et iam doloribus partus, per aliquot dies diuexaretur, ad ſe obſtetrices tredecim, et aliquot lithotomos vocauit, a quibus, fruſtra tamen, opem ſperabat, quum nec foetus excludi, nec etiam dolores mitigari poſſent. Quare iam deſperata ſalute, maritus vxori conſilium ſuum communicat: quodſi conſentiret, velle ſe, quo ſperaret annuente Domino felicem ſucceſſum, in ipſa ſuam experiri induſtriam. Annuente ergo ipſa ad archipraeſidem Frauenfeldenſem abiit, rem vti ſe habebat, expoſuit, conatum aperuit,

 licen-

licentiamque ſibi dari rogauit. Re intellecta archipraeſes primum quidem difficiliorem ſe exhibuit: dein vero fiduciae mariti confidens, annuit; quare licentia impetrata, domum rediit, obſtetrices alloquitur, et hortatur, vt quae cordatiores ſint, ſibi et vxori in hypocauſto aſſiſtant, timidiores vero ex conclaui recedant, moliturum enim ſe aliquid, quo benedicente Domino, ſalutem vxoris ſperaret; obſtetrices ergo conſilio magna cum admiratione intellecto, ex ipſis vndecim e conclaui receſſere. Duae cordatiores vero cum lithotomis mulieri parturienti adſiſtere; quare maritus implorato primum diuino auxilio et ianua diligenter clauſa, vxorem menſae imponit, abdomini vulnus (non ſecus quam porco) infligit. Verum primo ictu ita feliciter abdomen aperuit, vt ſubito infans abſque vlla laeſione extractus fuerit. Quum iam vndecim obſtetrices, quae prae foribus ſtabant, infantis vagitum audirent, intrare, ſed fru-

ſtra,

ſtra, exſpectabant: non enim intromiſſae fuere, antequam foetus mundatus, vulnusque veterinario more conſutum foret, quod poſtmodum abſque alio ſuperueniente ſymptomate feliciter coaluit. Eadem enim poſt hancce *Τομοτοκίαν* ſecundo gemellos enixa eſt: quorum vnus Ioannes Nufer nomine pagi Sigershauſen praefectus, annum iam agens ſexageſimum, anno octuageſimo tertio adhuc in viuis fuit, poſt hos gemellos quatuor alios liberos enixa eſt; exſectus vero infans, primum anno ſalutis ſeptuageſimo ſeptimo diem ſuum clauſit, huius etiam mulieris liberi atque nepotes adhuc viuunt ſuperſtites.

Sexcenti adhuc caſus proſtant, in quibus poſtea operatio haec a peritis in arte aeque feliciter inſtituta fuit.

Duplicem Sectionis Caeſareae ſpeciem eſſe, vnam, quae in viua, alteram, quae in mortua foemina celebratur, ſuperius iam commemoratus fui. De hac alia paragrapho agam, illam vero quod ſpectat, opiniones ad hodiernum vſque diem in vtramque partem ventilantur, quod mirandum eo magis, quum credideris exempla, rationem, vocem naturae, viribus ſimul iunctis diu iamiam in meliorem ſententiam debuiſſe diiudicare omni procul impedimento, quum hic cauſam generis humani homines agant.

Quamvis praeterea non conueniat de re iudicium ferre, ſaltem licebit audire, et pro ratione partem tenere. Ruſſetus author ad finem ſaeculi decimi ſexti celebris primus Hiſterotomiam in foeminis viuis deſcripſit, obſeruationibus et ratione ſtabiliuit. Huius ſen-

ten-

tentiam Bauhinus, Thomas Fienus, Franciſcus Paullinus, Andreas Laurentius, Mauritius Cordaeus, Felix Platnerus, Roonhuyſen, van Horne, aliique ſecuti ſunt; et recentiores plurimi, quorum principes celeberrimus Portal Lector et Profeſſor Regius, clariſſimus Baudeloque, chirurgiae magiſter, artisque obſtetriciae Profeſſor continuo venerandi mihi Praeceptores; clar. Levretus, Monroo, Smellie, Burdon, Roedererus, Steinius, Plenkius aliique, propriis operibus ſive actis eruditorum celebres legi merentur. Illuſtriſſimus Praeſes pro eleganti ſua ſagacitate in erudita diſſertatione inaugurali de re gravi ſententiam non dixit.

Inter eos, qui Sectionem in viua repudient, primi ſunt: Paré, Marchant, Guillelmau, Mauriceau, Dolæus, Dioniſius; tum quod ipſis operatio non ex voto ſucceſſerit, tum quod lethalis ſaltem habita.

Alii

Alii laudant quidem operationem, verum triſti propoſito liberandi infantis gratia matri iniuriam ferendi. Sic Varandaeo exiſtimare placuit: *Ubi uterque eſt ſuperſtes, exiſtimo ego quidem tentari poſſe* (ſectionem) *ad ſeruandum puellum, ſi alio modo exire nequeat, quamuis matris interitus ſubſequatur, quia melius eſt ſeruari unum, quam vtrosque ſimul perire, vel quia aliquando magis intereſt reipublicae ad illuſtrioris familiae conſeruationem, vt puer ſaluus, quam mater.*

Exquiſitam rationem obſtupebis. Forte vir ſtrenuus authoritate Henrici VIII. Regis Angliæ nixus, ſic fari potuit, qui Regina nullo pacto parturire potente interrogatus, quem liberatum vellet, Reginam aut infantem? decidit: *infantem, matrum enim penuria non erit.*

Hei-

Heiſterus hoc in caſu idem reſpondiſſet; verum, dum idem fatum perſonæ vilioris ſtirpis contingit, contrarium tenet, dicens: *Abſonum eſt, atque a prudente Medico aut Chirurgo vix expectandum, vt periculoſam ſectionem caeſaream in matre viua ſuadeat, aut inſtituat, ſi per vaginam foetus, licet etiam nonniſi per fruſta extrahi queat — — Lis oritur, vtrum foetus ſeruandi gratia mater ſectione caeſarea ſit incidenda, an potius foetus ferramentis extrahi debeat? Tunc matri potius tanquam arbori parcendum, foetumque tanquam ramum quacunque ratione, licet etiam forte adhuc vivat, quidquid nonnulli contradicant, extrahendum eſſe cenſeo.*

Parum digna profecto honeſto viro ſententia! qua ſacra humanitatis iura, artificioſe praeiudicio immolata, ſic friuole luſui habentur.

tur. De diſcernenda ſorte parturientis partusque vilioris quodnam Heiſterus cum Varandaeo iniuerit pactum, videat ipſe.

Verum quae in tanta opinionum diuerſitate ineunda via eſt? Quum negari nequeat, teſtibus ſummis viris Sectionem toties in foeminis viuis, quidquod in earum aliquibus quinquies ſexies inſtitutam fuiſſe, ſeruato feliciter infante una cum matre — Quum parturiens ac partus pari voce ac pari iure opem efflagitent; ſtatuere oportet eam tempore, cautelis, pactisque mox deſcribendis celebrari debere, quandocunque fatum expoſtulat. Quae enim quaeſo iactitata illa artis ſalubris opera? ſi in caſibus momenti leuis heroa agat, in aliis momenti grauioris langueſcat impotens.

CA-

CAPVT II.

Ante omnia Theorema ſit: Sectio caeſarea in viuis non inſtituenda prius, quam dum partus per ſolitas vias omnimodo impoſſibilis eſt; vti

a) Dum peluis foeminae maturo foetu grauidae ita anguſta eſt, vt vel operatoris manus in vterum dimitti, vel hac licet dimiſſa foetus extrahi nequeat.

b) Dum vel vteri vel vaginae orificium, vel huius canalis pelui licet optima, neque a natura, neque ab arte eo vſque diduci poteſt, vt manum operatoris admittat, foetumque transmittat. Huc et varii harum partium tumores aliaque genitalium vitia, exoſtoſes, vagina concreta, calculi in veſica caeteraque mala, chirurgica arte et ſalua matre non ſuperabilia pertinent.

c) Dum extra vterum foetus non mutatus in Lythopoedion, vel ipſe vterus in haernia quadam haeret. Huc etiam abſceſſus, quem foetus utero comprehenſus facit, pertinet. Sic cum aliis Roedererus: ſupereſt itaque tantum, adducta quibusdam obſeruationibus illuſtrare.

Mala conformatio peluis maternae. Mem. de l'Academie roy. de Chirurgie, Tom. II. pag. 309.

Anno 1740. menſe Aprilis D. Soumain vocabatur, viſitaturus, Desmoulins filiam triginta ſeptem annorum ſeptimo menſe gravidam; inueniebat eam totam quantam male conformatam, neque tribus pedibus cum pollice altiorem; omnia eius imprimis partium genitalium oſſa praeter naturam conſtituta, ita quidem, vt ſpinam Dorſi inter et os pubis non fuiſſet ſpatium duos pollices exſuperans. Talia

lia ſaepius obſtupeſcens Chirurgus merito partem infelicem timuit.

Die Mercurii ſeptimo menſis Iunii grauida primo parturientium dolores experiebatur. D. Soumain denuo accerſitus, examine rite inſtituto de partu ſpem omnem amiſit. Interea parturiens a die Mercurii uſque ad diem Sabathi eadem Symptomata paſſa, quae vero praeter mediocrem orificii vteri dilatationem Chirurgum de impoſſibilitate partus penitus conuincentem profuere nihil.

Omnibus tandem incaſſum tentatis remediis ad ſolam Hiſterotomiam refugium erat, ad quam viris in arte celeberrimis Bourgeois, Puzos, Verdier etc. ante in conſilium vocatis, eandemque ceu unicum remedium ſuadentibus, Soumain ſeſe accinxit.

Ferebatur itaque aegra ad marginem lecti capite ac pectore elevatis magis reliquo corpore. Ad latus dextrum, explorata quadam ſchirroſa in omento duritie, pro inciſione ſiniſtrum ſeligebatur eo conuenientius, quod hacce poſitione infantis obliqua magis in eodem ipſo loco turgeret, ubi inciſionem fieri oportebat. Inciſis integumentis, tunica celluloſa, muſculis et peritonaeo, portio inteſtinorum adparuit, quam vero mox conſultantium quidam retinuit ac tegit. Demum et vterus in conſpectu erat. Quum autem, aquis inter continuos dolores longe effluxis, vteri et membranarum quaſi unio erat, Soumain eundem aperuit, cautus magnopere, ne infantem vulneret: inciſione ſic in uterum facta animaduertit punctum album ſtillans liquoris albi guttulas quasdam, unde ſuſpicatus omnem vteri latitudinem, una cum

cir-

circumagentibus infantem membranis, iamiam inciſam eſſe; neque ſpes falſa erat.

Continuata ſectione ad normam fere eiusdem, quam paulo ante in partibus ventrem continentibus inſtituit, demum infantem vidit, dorſi partem inferiorem cum ſuperiore ani vertentem. Exemit eum aeque cauta manu, quum labiorum uterini vulneris tantus adinuicem acceſſus eſſet, vt vix digitis pro extractione partus immittendis ſpatium daretur. Extractione peracta ligauit umbillicum, ac adiuuante Puzos matrem demum liberavit. Repoſita mox inteſtinorum egreſſorum portione, adunato vulnere, muſculos, integumenta ſuturis iunxit, faſciis tandem, quae conueniebant, opus finiens. Idem hic imprimis adnotari meretur, haemorrhagiam exempta placenta non valde vehementem fuiſſe, examinatis enim, queis in-

cumbebat pannis, ſanguinis copiam offendebant vix exſuperantem eam, quam foeminae feliciſſimo omine parturientes vtcunque ſolent profundere.

Quibusdam poſt operationem diebus laudabili pure ſuppuratio euenit, et ſecundinis per vulnus ſtillatis poſt quadraginta ſeptem dierum intervallum ſanata exiit. Infans viginti pollicum longitudinis, neglectus a nutrice decem dies vixit.

Sectio ob herniam uteri inſtituta. Refert Senert. lib. IV. medicinae practicae p. 2. ſect. 2. cap. 17.

Urſula uxor Martini Opiz Vietoris, cum maritum in incuruanda pertica, ex qua vinculum dolii parandum erat, iuuaret, forte ab eadem reciprocante ad ſiniſtrum inguen percuſſa

eſt,

eſt, ruptumque, ſeu laxatum potius, quantum ego quidem ex ſectione iudicare potui, eſt peritonaeum; paulo poſt enim tumor ad ſiniſtrum inguen oboritur, qui brevi tempore tantum incrementum ſumſit, vt nullo modo intra abdomen recondi poſſet; etſi vero de utero prolapſo ſuſpicio incideret: tamen nec ipſa, nec aliae foeminae id facile crediderunt, donec tandem res ipſa, atque euentus omnem dubitationem ſuſtulit. Nam uterus conceptu grauidus, ita indies aucto foetu dilatatus ſimulque cum eo cutis inguinis ſiniſtri, qua uterus prolapſus erat, extenſa eſt, vt vtero et cute concluſus foetus inſtar ſacci fere, aut cucurbitae oblongae maioris modo propenderet, motusque infantis tandem et tactu et viſu perciperetur, quae res, quum ipſam, maritum cognatasque perturbaret, collegium noſtrum in conſilium adhibuerunt. Quum autem ob foetum iamiam maturum de vtero in abdomen reponendo, atque adeo partu naturali,

 nul-

nullam ſpem ſupereſſe videremus, ſi naturae res relinqueretur; et foetum et matrem demum de vita periclitaturos, nullaque alia a re, quam ſectione auxilium exſpectari poſſe, oſtendimus. Quod cum et ipſa atque maritus cognatique facile intelligerent, atque ſpem vitae in anguſto eſſe animaduerterent, vt ſectio fieret, omnes petierunt; Cum igitur die 21. Aprilis anno 1610. partus tempus adueniret, doloresque parturientem apprehenderent, Deo imprimis in auxilium vocato, praeſentibus mecum D. Erneſto Hettenbachio et D. Tobia Tandlero collegis, item Henrico Silbermanno Eccleſiae noſtrae Archidiacono, duabus obſtetricibus atque aliquot honeſtis foeminis hora 8. matutina ſectionem inſtituit Chirurgus Ieremias Trautmann, miniſtrante et altero Chirurgo Chriſtophoro Seesth. Primum ſecta eſt cutis et peritonaeum, hoc enim quantum ego quidem viſu diiudicare potui, cuti integrum adhuc ſuberat, et in ſe-

ctione

ctione a cute manifeſte diſtingui poterat. Hinc et ipſe, qui iam extra cutem facile prorumpebat, vterus apertus, haemorrhagia non adeo inſigni, neque etiam adeo acerbo dolore, quod ipſa poſtea faſſa eſt. Vero ſecundum longitudinem aperto, infans facile cum ſecundina extractus eſt, imo quaſi ſuopte motu, cum via facta eſſet, exitum quaeſiuit, et quidem, Dei beneficio, ſalvus atque incolumis; de vtero vero intra abdomen reponendo, quum ob eius magnitudinem nulla ſpes eſſet, cutis, ſanguine conueniente decocto prius abſterſo, ipſi inducta et conſuta eſt; ipſe vero vterus non conſutus, qui etſi aliqua inſigni inflammatione non corriperetur, tamen, quia extra abdomen propenderet, et ab externi aeris incurſu in curatione vulneris defendi non poſſet, membrana quaſi purulenta circa labia vulneris obducta eſt, quae tamen poſt adhibitis idoneis medicamentis ſublata eſt, vterusque iterum purus euaſit, et na-

turalem faciem et habitum circa diem 14. oſtendit, atque indies magis in ſe contractus ad naturalem magnitudinem rediit. Verum poſt dies aliquot labia vulneris nigreſcere, cum tangerentur facile ſanguinem fundere, atque adeo gangraena ſuboriri cepit, vt ferro ſine ſenſu particulae de labiis vulneris demi poſſent, ſed quum idonea medicamenta adhiberentur, omne illud malum ceſſauit, et caro circa labia vulneris ad priſtinum colorem et ſtatum plane rediit, vulnusque indies anguſtius euaſit, adeo, vt intra paucos dies coalitum vulneris ſperaremus, et vix ullum de recuperanda integra ſanitate dubium ſupereſſet.

Verum enim vero cum illa 16. Maii hora quarta promeridiana extra lectum aliquamdiu conſediſſet, atque iterum in lectum ſeſe reciperet, lipothimia ſuboriri coepit, et praeter omnem ſpem intra dimidiam horam procul dubio

bio ab adſtantibus, cum eſſet paupercula, non recte in lipothimia tractata, vitam cum morte commutauit. Ipſa mortua, vt plane ſciremus, an in utero omnia ſalua fuiſſent, an vero aliqua latens putredo lipothimiae et ſubitae huic morti cauſam praebuiſſet, vterum aperuimus, verum omnia ſalvà in eo inuenimus, infans etiamnum vixit ſaluus et incolumis, Dei beneficio; huic enim ſoli et ipſa mater acceptum ferebat, quod toto geſtationis tempore a variis et periculoſis motibus damni nihil percepiſſet. Etſi enim vterum extra abdomen pendulum in faſcia geſtaret, tamen in obeundis domeſticis negotiis, quae ipſimet, ob rem familiarem anguſtam, expedienda erant, uterum cum foetu, nunc in femore, nunc in hoc, nunc in illo loco, provt uſus et res expediendae exigebant, reponere neceſſe habebat; ita mirabilia ſunt opera Domini. Puer iſte demum ſub finem anni 1619. mortuus eſt.

Praeterea adnotante Ruyſchio ante ſectionem repoſitio herniae ſedulo tentanda, quae ſi fieri poſſit, partus quandoquidem absque operatione peragitur.

Sectio in caſu, vbi foetus extra uterum.

Plurima deſuper exempla proſtant, vnum narrabo, non quod idem hoc inter alia veriſſimum cenſeam, ſed quod auis rara ſit, foetus in veſica repertus.

Dauid Laurentius Ebersbach caſum adnotauit, *Ephemerid. Acad. Nat.ירioſ. Cent. V. Obſ. 20. ſeq.*

Loebauiae aromatopolae cuiusdam uxor iuuencula aetatis viginti octo annorum, per quinque vel ſex annos ſterile ducens matrimonium, hydrope aſcite laborabat, anguſtias perſentiſcebat praecordiorum enormes, diutinam urinae patiebatur obſtructionem, de ſenſatione circa os pubis

pubis conquerebatur tenſoria; varia, licet incaſſum ſingula, adhibebantur medicamenta. Profluuium vrinae multis modis promouere moliebatur obſtetrix, ſed laterem lauabat, quippe quae ſemper aliquod in veſica obſeruabat digiti ingreſſum et urinae egreſſum prohibens obſtaculum. Affligebant porro aegram dolores ad partum; omnes tamen ad illos promouendos fruſtraneo molimine applicabantur vires. Succumbebat tandem aegra fatis. Aperiebam praeſentibus aliis medicis cadauer, in cuius abdomine multa offendebatur aqua, quacum et uterus impletus erat. Veſica vero vrinaria turgida admodum conſpiciebatur, quae poſt inciſionem multam pallidamque aquarum profundebat copiam, et ex ea Embrio trium praeter propter prominebat menſium, cuius funiculus umbilicalis in fundo veſicae variis cum vaſculis ſanguiferis intertextae, inque nonnullas quaſi partes, inter ſe tamen inuicem cohaerentes, diſtinctae adhaereſcebat

maſſa

maſſa carnoſa; ſecundinis quoad colorem et conſiſtentiam non abſimilis.

Huc Bartholini verba quadrant: Vias quidem nobis eſſe obſcuriores, neutiquam tamen naturae, cui vbique pateat corpus humanum; hinc alium quemcunque locum capacem, et calore tepentem, ad foetus conformationem aptum eſſe poſſe, quanquam non ad eius excluſionem.

Verum plurimae, quae enarratos caſus, in quibus ſectio requiritur, dilucident, obſeruationes in plurimis de re obſtetricia editis paginis legi queunt, quibus limitum cauſa et quod acta et reacta agere nolim, ſuperſedens, ad operationis practica tranſeo.

Admodum varia eſt Hiſterotomia. (*a*) ratione pacti, quo peragitur, atque ſymptomatum eam concomitantium.

(*b*)

(*b*) Ratione ſtatus, ſitus vteri, ac poſitionis infantis vel intus vel extra eundem commorantis, demum (*c*) ratione cohaeſionis placentae ad uterum temporisque, quo grauida eſt.

Authorum aliqui, inter quos Plenckius, Hiſterotomiam porro in perfectam et imperfectam diſpeſcunt. Perfectam dicunt, vbi praeter alias partes et vterus inciditur; imperfectam, vbi intactus remanet.

Antequam operatio celebratur, probe conditiones examinentur oportet, quae tanquam infallibiles indicationes Sectionem caeſaream poſtulant. Praeprimis habitus vteri cognoſcatur, an ſanus ſit, aut inflammatione, aut gangraena corripiatur, an parturiens, quae operationem ſubeat, bona valetudine fruatur, aut cacochimia, aut febre etc. laboret; tumque fa-

cienda

cienda Sectio, dato, quo alvus euacuetur, clymate, ac liberata veſica, protrahenda neutiquam, ne ſub diuturniore partu, et maiore ſanguinis profuſione vires parturientis fractae, et vera inflammationis initia producta fuerint.

Eſt quandoquidem, vt et mortuo infante in viua matre ad operationem progredi ratio expoſcat, quando nempe ob peluis nimiam anguſtiam infantis cadauer in fruſta diſſecari aut ferramentis extrahi nequit. Verum de tali impoſſibilitate omnimodo antea conuictus obſtetricans ſupponitur.

Demum ſingula, quae ante et poſt operationem aut durante ea deſiderantur, aut fors deſideranda forent, ſedulo adparentur. Horum praecipua ſunt: ſcalpellum incuruum parte conuexa ſcindens (cui autem monente An-

tonio

tonio Petito lythotomus Scheſeldeni praeualet); acus quidam cum filo cera obducto ad liganda vaſa abdominis, linteamina diuerſae magnitudinis, vitellus oui oleo mixtus pro obliniendis digitis praecipue ad reponenda quandoquidem egredientia durante operatione inteſtina, faſciae quaedam magnae *vnientes* adpellatae, queis ad numeranda adhuc: ſpiritus, ad refocilandas parturientis vires, denique replicatum filum cum forcipe ad ligaturam umbilicalis funiculi; dum vero operator more ſolito gaſtrographiam inſtituere cogitat, oportet adhuc addere acus maiores cum filo more chirurgico parato, clauosque ſericeos cera obductos.

Hisce ſingulis rite factis foemina oblongo, ſi detur lecto, ita imponenda, vt de omni latere facilis ad eam acceſſus ſit. Sex

ad-

adſtantes parturientem circumſtant, quorum duo extremitates ſuperiores tenent, una leuantes caput, ac pectus; duo alii extremitates inferiores, ferentes eas, abdomen verſus ad laxandos, hocce modo muſculos abdominis: quintus operanti ad manus eſt, porrigens inſtrumenta; ſextus demum, ſi dies nubila, aut nox impedit, candelam profert, aut pro diuerſitate circumſtantiarum alias auxiliares praebet. — Locus, in quo ſectio inſtituenda, aut electionis aut neceſſitatis dicitur. Primum aliqui praeeunte Ruſſeto linea atramento facta ſignant, alii ſolo viſu eum excipiunt exemplo Steinii; Levretus vero et ſectantium cohors methodo geometrica opus molientes cruciformes ſibi lineas pingunt, quin eorum unus animo voluat ſitum obliquum uteri, aut uterum pro diuerſitate parturientium diuerſae magnitudinis reperiri, neque idem: alium vterum eſſe,

dum

dum aquis adhuc diſtenditur, alium effluxis aquis. In perſonis male conformatis methodus Levreti magis adhuc anceps, omnibus facile inconueniens ſcitur.

Locus neceſſitatis nullis definiendus regulis, pro ratione circumſtantiarum, et vtcunque in parte vteri elatiſſima exquiritur.

Parturiente ita locata, transverſa in integumenta plicatura facienda, cuius vnam extremitatem ex aduerſo poſitus teſtis, aliam operator tenet, prima in plicaturam ſectione, integumenta, altera demum, abdominis muſculos, aponeuroſes, vna cum peritonaeo ſecans, vbi cauendum valde, ne praecipitanter nimis in cauitatem irruat, ſicque inteſtina, aut vt plurimum ſuper vterum reſidens omentum laedat. Facta in peritonaeum leuiori inciſione

Hiſterotomus expedit, quo primum ſuper ſpecillum ſulcatum, dein digitis ducto, vulnus ad ſex circiter pollicum magnitudinem dilatetur neceſſe eſt.

Sectio in anteriori et laterali abdominis parte praeprimis obliqua, et cruciformis, admodum periculoſa eſt; quum enim operator ad inferiorem muſculi recti partem magis accedit, aliquoties arteriam epigaſtricam diſcindit, quo demum operatio ob ligaturae neceſſitatem ſaltem retardatur. Dum vero muſculos obliqua, cruciformi ſectione diſſoluit, idem et vteri fibris vltimo grauiditatis tempore de fundo huius viſceris ad eius orificium tendentibus infligere debebit, vnde eadem hiſce, quae aliis muſcularibus transuerſim diſſectis fibris, funeſta ſors continget, quidquod partu iamiam abſoluto diutius manebit damno ratione effluxus

aqua-

aquarum ſecundinarum quandoquidem haud leui. In foeminis hac methodo tractatis, ac poſt operationem defunctis nonnunquam pars inteſtinorum in vulnere incluſa reperta fuit.

Verum quando operatio in latere inſtituitur, quin attendatur ſedulo, in quodnam latus maxime vterus inclinet, integumentis abdominalibus vix inciſis inteſtina erumpunt, ſicque, tum ob difficultatem ingentem eadem reſtituendi, tum ob periculum laeſionis plurima obſtetricanti taedia pariunt; et hanc itaque methodum ob plurima, quibus ſcatet, pericula diſſuaſam habuerim. De procidentia tali Levretus quaeritur, arguens Ruſſetum, qui eam negat. Ipſemet ad eosdem ſcopulos aliſi, quum anno vix non praeterlapſo methodo Levretiana Cel. Profeſſ. de Haen, condiſcipulisque coram Hiſterotomiam publice in huiatis hoſpi-

tali ciuico ſuſciperem. Verum ad ſuperſedendas has difficultates praeeuntibus, Quenino Kelſio aliisque aliquando, opinor, ſectio ſupra lineam albam inſtituetur, hoc forſan modo: Educta per cathederem vrina, ne veſicam laedendi periculum ſit, duo adſtantes, quorum quilibet manus ad latus aliud parturientis tenet, vterum in cauitate abdominis fixum reddunt; dum operator pari ab umbilico et oſſe pubis diſtantia integumenta incidit, quibus inciſis vterus ſubito in conſpectu eſt; ſi vero tectus omento, vti quandoquidem reperitur, eodem remoto aperitur, impenſa cura, ne membranae, ſi continuae adhuc, vna diſſoluantur, aut infanti iniuria fiat. Quodſi aquae jam fluxerunt, praecipue ſanguis repetitis vicibus linteamenti filis extractis (charpie gallice) aut fungo ſorbendus, vt ſciatur continuo, quousque ferrum attingat.

Quum

Quum demum ad membranas vſque inciſio facta: hae apice digiti ab interiori vteri parte reuelluntur, dumque ſcalpello eodem digito ſuperimpoſito, ſicque vterum inter et membranas pergendo, vulnuſculum vteri de fundo verſus collum, aut de collo fundum verſus dilatatur, vbi vix quidquam praecauendum magis, praeter id, ne ſectio extra vteri corpus feratur.

Vulnus vteri nondum fluxis aquis ad minimum ſex gallicos pollices longum ſit; hoc modo toto ambitu ſaltem pollices duodecim metietur, quod ſpatium pro extrahendo maximo partu amplum ſatis, quum inferior peluis circumferentia vix vnquam amplior reperiatur. Si fors placenta loco, vbi inciſio fit, inhaereat, ſectionem eapropter neutiquam interrumpere, ſed inciſo vtero illam ſoluere et infantem pedi-

 bus

bus extrahere oportet, quamuis Levretus, Steinius, aliique practicorum contrarium jubeant; nihil certi enim viri celebres commemorantur de methodo, qua ante operationem de circumſtantia hacce cognitio hauriatur: aut licebit ſcalpello ſanguinolento ſuper vterum ſciſcitari? Diuerſitas profecto ingens in Hyſterotomia eſt, quae ex ſequentibus animaduertitur, antea diiudicanda neutiquam. Omnia, quae deſuper ventilantur, ſigna, vana ſunt ac incerta; res itaque quousque certiora de eadem habuerimus, in lubitu erit.

Vbi foetus in alia ac in vtero parte commoratur, locus electionis intrat: vt plurimum hic ſectio in tumoris regione elatiſſima iisdem, quibus in alio caſu, cautelis inſtituitur. Si partus in ouariis aut tubis fallopianis latitet, et haec incidenda, hoc patet quidem.

Efflu-

Effluxis diu aquis iamque in naturalem ſtatum magis contracto vtero euidens eſt, inciſionem non tantae, ac vbi vterus adhuc aquis diſtenditur, magnitudinis fieri debere, quum plures hoc pacto fibrae incidendae forent. Inciſio quatuor cum dimidio, aut quinque pollices longitudine aequans ſatis expedit, quum inferenda manu, quin rumpatur, dilatetur adhucdum, quidquid contradicant alii, autumantes, ſectionem eo maiorem faciendam, quo magis vterus ad priſtinos limites redierit.

Praeterea adnotandum, ne ſectio vteri, quatenus poſſibile, ante aquarum effluxum fiat; hoc caſu enim membranae in vulnus, vti in orificium vteri, dum hocce dilatatur, intrant Ad praecauendum id practicorum plurimi ſaccum membranaceum lacerant, diſcinduntque neutiquam cogitantes, ſic aquas vi proſilire et

 in

in cauitatem ruere. Thebeſius easdem in mortua pedes duos proſiliiſſe narrat, in alia extincta, vulneris caeſarei labia iisdem aquis in plures pollices lacerata magis fuiſſe, Smellie author eſt. Quodſi nunc idem in mortua, quid non in viua accidet, vbi motus vehementior? Optimam itaque duco hanc methodum: Membranae detectae, ſtatim ab adſtantium quodam, per vaginam lato digito, aut ſi hoc modo difficilius, inſtrumento Troiſcard aperiuntur, atque fere eodem momento obſtetricans eas incidit, et ad requiſitam magnitudinem vſque dilatat.

Inciſis membranis manus immittitur ad extrahendum foetum pedibus, etiamſi caput offerat; capite foetum extrahi debere, aſſerunt Bertrandi, Steidele aliique, qui illum ad vnguem vſque ſecuti ſunt, minime luſtrantes hocce modo diametrum capitis foetus nimium augeri,

geri, aut de tenui paruuli collo mentoque periculum eſſe.

In hoc vno et in nullo alio totius artis obſtetriciae caſu digitos ori infantis immittere licet: dum nempe idem pedibus prehenſus ſolo capite adhuc in vteri cauo haeret, vbi duo digiti intra eius menta lati, eo quidem modo, vt caput ad ſitum diametri minimae dirigatur, operi metam ponunt.

Exemptum infantem obſtetricans adſtantium ſibi proximo porrigit, cui et cura ſimul diſſecandi funiculi relinquitur. Quum facta inciſio eadem, qua vterus foetu liberatus ſe contrahit, ratione imminuitur, haud momentum negligat obſtetricans, exemto infante, vterum quoque placenta ac ſanguine coagulato liberandi. Cauitas pauxillo aquæ tepidae mundari, atque digi-

to aliquoties ad magis promptiusque ſeſe con trahendum ſtimulari poteſt.

Si ſectio ante exitum aquarum celebrata fuit, operationem paſſa cubitu in idem, quo vulnus inflictum, latus inclinatur ad promouendum ulterius earundem effluxum.

Quae demum pro reuniendis integumentis methodus optima?

Veteribus ſuturae in uſu erant, crudeliores vero ac dolorificae magis ſectione ipſa, nihilominus recentiorum aliqui eas depraedicant. Alii alium, qui in gaſtrographia adhibetur, uniendi modum adoptant, non minus vero inhumanum imo ſuperfluum euincente Bibrak. *in Act. Acad. Chirurg. pariſ.*

Hu-

Humanius itaque oportet eligere; Henkel, Quenin, pluribus obſeruationibus edocti monent, totum opus ſine ulla ſutura ſanguinolenta perfici poſſe. Eadem eſt ſententia celeberrimi Sieboldi, Profeſſoris anatomiae, chirurgiae, artisque obſtetriciae in Vniuerſitate herbipolenſi, primi mei in arte ſanandi Magiſtri. Quodſi tamen nihilominus ſuturae faciendae forent; tres earum, duae in angulis, cum tertia in parte vulneris media, ſufficiunt, habita ratione, vt ſutura in parte inferiori paulo remotius ab angulo vulneris inſtituatur, ad facilitandum tranſitum aquarum huc quandoquidem effluentium.

Suturas parum ſtringere, quidquod ſuperveniente inflammatione ſaepius relaxare, iisdemque carpta lintea imponere oportet.

Dum

Dum ſuturis ſiccis adunitur vulnus, emplaſtra ita componuntur, vt eorum extremitates largae fiant, medio ſuper partes ſciſſas ponendo continuo decreſcente. Reliqua adparatus, vt in gaſtrographia ſunt.

Tandem aegra lecto committitur eo ſitu, ut ſecundinis facilis per vias ſolitas effluxus detur; dum eaedem per plagam ſtillant, partes genitales inquirendæ, et impedimentnm, ſiquod adſit v. g. ſanguis coagulatus, etc. medio tollendum.

Primis diebus ſtricta foemina diaeta vtatur; inflammationi vero, aliisque ſymtomatibus, medicus, cuique pro ratione indicatorum aduerſabitur.

CAPVT III.

Quae in foeminis mortuis inſtituitur Sectio caeſarea, prior fortaſſis, ac eadem in foeminis viuis, facta neque tantum vnquam vt haec impugnata fuit.

Equidem Varandaeus, Bauhinus eam improbarunt opinantes partum ſtatim cum matre mortem ſubire; verum non immemor, commento pernicioſo opponere quidquam explodente diu experientia. Quidquod negat lex Regia, *mulierem, quae praegnans mortua ſit, humari, antequam partus ei excidatur, qui contrafecerit, ſpem animantis cum grauida peremiſſe videtur;* atque idem rurſus mandato Thereſiano in omni, etiam breuiſſimo grauiditatis tempore, defuncta, cautum eſt, vt partus ſaltem chriſtiano fonte lavetur. Sanctae pro-

profecto humanae ſoboli leges, quibus attentius inuigiletur, unanimiter optandum foret; triſtia enim ſane exempla ſunt, quae ex neglectu diſciplinae huius orta: ex innumeris ſolummodo pauca adducam.

Quidam cum mortua vxore pararet exequias, extinctae matris ab vtero ſubito emiſſo claro vagitu ſaluus et incolumis puſſio egreſſus eſt. Uxor Nicolai cereuiſiae coctoris in noſocomio hafnienſi grauida legitimum geſtationis terminum mortem anteuertit ſex hebdomadibus. Illa menſe Octobris 1653. defuncta foetus vtero incluſus mortuus credebatur, hinc ad ſepulturam omnia componuntur; lauatur cadauer, linteamina ſepulchralia corpori rigido inducuntur et more funerali arcte cadaueri aſſuuntur. Poſt horam a morte quadrageſimam octauam intumuit abdomen, thoraxque et ruptae ferales interulae corpori emortuo aſiutae et lochia copioſius prodire

viſa;

viſa; attonitae adſtantes foeminae accurrunt, deductisque cadaueris cruribus ex maternis clauſtris eluctantem vident puerum maſculum, elegantem omnibusque numeris perfectum, ſed mortuum.

Teſtatur Bartholinus Hiſt. anat. De foetu mortuo ex mortua matre ſponte prodeunte hanc obſeruationem refert Philippus Hoechſtetterus Obſ. med.

Defecit in partu vxor balneatoris in laudatiſſimo vrbis noſtrae balneo, a qua viceſima ſeptima a morte hora cum ſonitu mortuus prodit infans. Factum 30. Auguſti anno 1615.

Simile exemplum referr Ioannes Riolanus, *Anthropogr. Lib. VI. ir Praefat.* Weiſenburgi, *inquiens*, filiae ab vtero excluſae vagitus exauditus vitae et incolumitatis cauſa fuit, qua nunc fruitur, Weiſſingae in Marchionatu Badenſi degens.

De

De gemellis, quorum alter vteri orificio inhaerebat, alter mortua matre viam exeundi in latus ſiniſtrum ſibi faciebat, obſeruationem ex Iacobi Hartmanni communicatione recenſet Chriſtianus Menzelius M. N. C. Dec. III. ſcilicet hic foetus poſt quadraginta octo horarum ſpatium, poſtquam mater ex vita exceſſerat, excludebatur. Ibidem idem author aliam obſeruationem, Albino Bernhardo a domino Koſky communicatam eiusdem verbis annectit.

Eine vornehme adeliche Frau laſset zur Zeit ihrer Geburt eine Hebamme, und einen Medicum fordern; es hält ſich aber die Frucht ſehr zurücke, ſo, daſs der Medicus ungemeine treibende Dinge verordnete. Summa, die Frau bekommt eine Ohnmacht über die andere, und ſtirbt nach aller Meinung, und bleibet die Frucht in der Geburt ſtecken. Man legt ſie auf das Stroh; des Mor-

gens,

gens, da die Leute wieder in die Kammer kommen, finden ſie, die Frucht oder das Kind bey ihr liegen, welches ſich mit groſser Gewalt in der lincken Seite durchgearbeitet, und ein Loch faſt ſpannenlang gemachet.

Aliam de partu eiusmodi poſthumo obſeruationem cum Magiſtratus loci atteſtato recenſet Philippus Iacobus Hartmannus M. N. C. Dec. III. Anno 4. obſeru. 178. his verbis:

Wir Burgermeiſter und Rath der im Herzogthum Preuſsen gelegenen Stadt Gerdauen zeugen kraft dieſes mit Grunde der Wahrheit ein, das Michel Schaefers Ehegattinn Namens Anna, ihres Alters 24. Iahr, nachdem ſie hoch ſchwanger, und ihre Geburtsſtunde in wenig Tagen gegenwärtig geweſen, in verfloſsenem 1693ten Iahre den 30. Iulii als Donnerſtag in der Nacht, da ihr Ehemann

verreiſet war; und nur ein Mädgchen bey ihr gelaſſen, unverſehens, indem derſelben vermuthlich ein Ohnmacht zugeſtoſsen, mit dem Haupte aus dem Bette zwiſchen einem nahe an dem Bette ſtehenden Kaſten geſtürzet, und des Freytags als 31. Iuly des Morgens gegen 3. Uhr von den Nachbarn mit dem Kopfe auf der Erde ſtehend, und mit den Schenkeln annoch im Bette liegend ganz erſtickt gefunden worden; weil nun die anweſenden die Leiche ſofort auf eine Tafel gelegt; und beſichtiget, ſo haben ſie gefunden, das die Frucht annoch am Leben und mercklcih friſch geweſen; haben dahero in ihrer Einfalt gleich mit warmen Scheiben die Leiche an der rechten Seite, woſelbſt die Frucht gelegen, erwärmet, und bis den folgenden Sonnabend als 1. Auguſti damit continuiret, auch gewahr worden, das die Frucht nach der Wärme immer ſtärcker ſich bewegte. In ſolchem Zuſtande iſt die Leiche

che den 1ten Aug. gegen Abend in den Sarg gelegt, und offen gehalten worden. Des Sonntags morgens aber gegen 3. Uhr hat die Leiche das Kind anerſt von ſich gelaſſen. Sobald nun die anweſenden dieſes vermerket, haben ſie das Kind, ſo eine junge Tochter geweſen, gleich aufgenommen, und eigentlich geſehen, das es noch zweimal mit dem Mündgen geſchnappet, und alſobald verſchieden; worauf denn die Mutter nebſt dem Kind annoch denſelben Tag chriſtlich beerdiget worden. Iſt alſo gewiſs, daſs das Kind bey der Leiche von 3. Uhr des Freytags als den 31. July bis an 3. Uhr des Sonntags als den 2ten Aug. zuſammen 28. Stunden gelebet. Welches zu mehrerer Beglaubigung unterſchrieben und beſiegelt den 31ten July Anno 1694.

(L.S.) Buergermeiſter und Rath.

Aliud

Aliud triſte fatum narrat Chryſtophorus Schelhamerus M. N. C. Dec. II. Ann. 5. obſerv. 14. p. 28.

Brunſuici proletaria Mulier in partu difficili diem obiit ſupremum. Haec poſtquam ſpiritum exhalauit vltimum, deprehenſus eſt infans in vtero viuere adhuc, et valido motu exitum quaerere. Hic mulieres adſtantes miſerrimum infantem mire ſe torquentem et extrema omnia tentantem oculis atque animis immotis aſpexerunt, quumque admonerentur, vt facta ſectione mortis faucibus eum eriperent et in conſortium protraherent viuentium, nulla opera potuerunt ad id impelli; crudele facinus cauſari mortuae mulieri vulnus infligere; viuentem leto tradere minus crudele reputantes. Itaque miſer hic infans vnam atque alteram horam matri ſic ſuperuixit, et intra ipſam cum morte luctatus eſt; tandem vero fractis viribus nemine opitulante obiit et ipſe. Eo vero

momen-

momento non venter tantum matris, ſed et vniuerſum corpus ingenti quaſſatione contremuit; accuſante quaſi defuncta amicarum deteſtandam crudelitatem, quod perire prolem ſuam ſcientes volentesque ſiuerint, ipſis exprobrans, et iſta ſua commotione poſt mortem facta ipſis horrorem incutiens. Graue facinus! quod enim eſt, quo ab homicidio diſtat.

Simile quidquam et Ioannes Dolaeus refert. M. N. C. Dec. II. Ann. 5. obſ. 177. pag. 279.

Nimirum in oppido Lichtenau dicto, foemina grauida in febrem incidit malignam, qua etiam octauo ingrauidationis menſe extinguitur; altero die poſt mortem adſtantes cum admiratione obſeruant motum infantis in vtero per 12. horas; deſtituti vero medico ac chyrurgo naturae omnia reliquerunt.

Plura eiusmodi in variis eruditorum actis legi queunt, quibus demum, et id falſum eſſe, euincetur, grauidam ideo, quod adhuc partum edat, non mortuam haberi poſſe; quodcunque etiam deſuper Sperlingius, Winklerus commenta ſtruant. Quum vero referentibus inprimis viris cel: Morgagnio, Haenio, Winslovio, ſigna mortis plurimum incerta ac fallacia ſint, vti et eadem viui, mortuiue in vtero latitantis foetus, de quibus, quod magis theoriam ſpectent, nulla hic facta mentio; ſectionem et in mortua iisdem, quibus in viua çautelis inſtituere oportet, eo euidentius, quum operatione ipſa nonnullae iamiam ad vitam reuocatae ſciantur. An vero ante opus deſperatum continuo arbitrium iudicis implorari aut ſenatus conuocari debeat? mihi quidem non videtur; quid enim demum caſui factum medelae, ſi concilium tandem placuit mortua interea matre vna

cum

cum prole vel prole matrem defunctam mox ſequente? aut quaeret ſanus quidam, oborto incendio an liceat auxilium ferre?

F I N I S.